



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

14. Primus Virginum aemulatus votum Virginitatis à Maria emissum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**



## ELOGIVM XIV!

## IOSEPH

Primus Virginum æmulatus votum Virginitatis à MARIA emissum.

**V**irginitas, religiosa nempe, perfecta, ac perpetua, vnius Ecclesiæ Christi singulare donum est, vt Canisius de B. V. lib. 2. cap. 12. fol. 205. sapienter obseruat. Eò magis autem oportebat eos, qui primi Ecclesiam hanc, ipso Duce, constituere, hoc ipsum Virginitatis decus anteferre cæteris. At fuit inter hos IOSEPHVS dignitate, gratiâ, ac prærogatiuis facilè maior, vt fusè per complura Elogia docebitur. Non ergo idem decus abesse debebat etiam à IOSEPHO. At est consuetudo hominum vbilibet recepta, vt ea, quæ pretiosa sunt, annulô consignentur, serisve concludantur. Nihil autem Virginitate pretiosius est. Nihil etiam magis annuli seræque naturam exprimit, quàm Votum, quô Virginitas, & quæcunque alia Supererogationis, vt vocantur, opera, Deo consignantur, atque tam arctè connectuntur, vt neque ipsa à vouente, neque vouens à Deo auelli, vllò vnquam tempore, possit. Hoc ergo voto etiam IOSEPHVS Virginitatem suam, ceu annulo, serâve Deo consignauit.

Neque sanè est, quod à me quæras, quæ annulo isti imago incisa fuerit. Circumspice enim tempus,



pus, quo eum primò fabricatus est. Nulla tum imago siue exemplar vouendi erat præter vnicam **MARIAM** Virginem. Hæc primâ mortalium in eam cogitationem venit, prima, inquam, in ætate primâ, templi Salomonici parietibus inclusa, se suamque Virginitatem voto consignauit. Docet hoc **Abdias** lib. 8. *Hist. Apost. Hæc Virgo, inquiens, cum execraretur omnem Virum, &c. Virginitatis votum prima vouit. Primam autem ideo dixi, quia ex quò homo factus est ab iniriò seculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter feminas constituit in corde suo, vt diceret: Domine, offero tibi Virginitatem meam; cum hoc à nullo homine, nec verbò didicisset, nec exemplò* Ita **Origines** in cap. 13. **Matthæi**. **Ambros.** de instit. Virg. cap. 5. **Gregor.** referente **Strabo.** in 1. **Lucæ.** **Ildephons.** Serm. 5. de Assumpt. **Beda** lib. 1. in **Luc.** cap. 3. **Rupert.** l. 3. in **Cantic.** **Honorius** lib. 3. de æter. gaud. **Albert.** super **Missus** est cap. 82. **Bernard.** Serm. 4. de Assumpt. **Bonav.** l. 1. phæret. cap. 5. & alij, quorum verba **Castrius** cap. 3. & **Carth.** lib. 3. **Hom.** 5. prolixè referunt; quos perlegere, pretium est operæ.

Hanc ergo Virginem solam potuit **IOSEPHVS** statuere imaginem sui istius annuli, de quo agimus, & imitatione celeri suo corde imprimere. Sed quid dico, potuit? reipsâ statuisse, & impressisse, ait **S. Thom.** in 3. p. q. 28. a. 4. ad 3. & quidem communi vtriusque consensu. Plures autem alij præcisè docent **IOSEPHVM** vouisse. Quod ipsum tamen ad hoc, quod præcipuè intenditur,

satis



fatis est. Cùm enim matrimonium ex naturâ suâ sit contractus mutuus, quô tam vir se tradit fæminæ, quam fæmina viro, neuter alteri præiudicare potest. At hoc haud dubiè fieret, si IOSEPH vir MARIÆ, traditum corpus, eâ vel insciâ vel inuitâ ad alium transferret. Æmulatus ergo, siue exemplum coniugis, siue certè voluntatem, quod perinde est, credi debet.

Quæris autem, primusne Virginum negativè sit, an etiam positivè. Vtrumque affirmo; & illud quidem, quia saltem ex viris IOSEPHVM tali votô nemo antecessit; hoc verò, quia innumerabilis Virginum exercitus subinde huius sui Ducis signa secutus est. In quo exercitu si de coniugibus tantum Virgineis loquar, etiam inter illustres familias paria duodecim numerat Carthag. lib. 4. Hom. 5. At quanto maior est exercitus aliarum Virginum, quæ se æterno Sponso, totô passim Mundô, nunc deuouent, tum intra Religiosa claustra, tum foris, sequentes Agnum, quocunque ierit, Apocal. 14.

Est ergo & negativè & positivè, primus  
Virginum Deo consecrantium  
se, IOSEPH.



D

ELO-